



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 87. Quis sit minister Sacramentali Matrimonii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)



part. 2. de mat. c. 1. §. unico. num. 8. Gasp. Hurad. d. 3. de mat. diff. 21. &c. consensum utriusque contrahentis verbis vel signis expressum esse formam matrimonii, tam in ratione contractus quam Sacramenti ( eadem enim est forma & materia utriusque, dum Christus instituens Sacramentum matrimonii contractui matrimonii non mutato superaddidit, seu adunxit rationem Sacramenti, seu vim practicè significativam gratiæ ) materiam verò proximam esse traditionem & acceptationem corporum, & materiam remotam ipsa corpora, esse verò materiam, non ex qua contractus coalescat, sed circa quam versetur, & quæ ipse contractus perficiatur, juxta Concilium Florent. signanter dixeris, Sacramenta omnia perfici rebus tanquam materia & verbis tanquam forma, tacitè hac ratione indicans, non esse necessarium, quòd Sacramenta omnia intrinsecè constent rebus vel verbis; cum aliàs dicere debuisset *constare, non perfici*. Ex eo magis placere posset hæc sententia, quòd melius hoc modo explicari queat, qualiter matrimonium, ut reliqua Sacramenta perficiatur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. Item qualiter matrimonium cum reliquis conveniat contractibus, quorum forma est consensus expressus verbis contrahentium, & illud est materia, quod consensus ille respicit & circa quod versatur.

*Quest. 87. Quis sit minister Sacramenti matrimonii.*

**R** Esp. Sunt ipsi contrahentes. Sanch. l. 2. d. 6. num. 2. Pont. l. 1. c. 8. num. 3. Castrop. p. 4. num. 2. cum communi & certa; ille enim solus est minister Sacramenti, qui illius materiam & formam ponit. hoc faciunt soli contrahentes, expriment enim mutuum consensum de mutua corporum suorum traditione & acceptatione, & certè constat contrahentes esse ministros matrimonii, quatenus est civilis & naturalis contractus, eatenus autem illud Christus elevavit ad rationem Sacramenti, Supponit hoc ipsum, nempe parochum nihil participare de ratione ministri. Trident. sess. 24. c. 1. irritando matrimonia celebrata sine præsentia parochi; supponit siquidem matrimonia aliàs celebrata sine parochi præsentia fuisse valida tam in ratione contractus quam Sacramenti. Porò contrahentes in peccato mortali, quatenus sunt ministri, peccare saltem mortaliter; eò quod non sint ministri consecrati ad hoc munus, negant Sanch. l. 2. d. 1. num. 4. Cönninck. d. 24. du. 3. num. 34. affirmant è contra Castrop. n. 3. Pont. l. 1. c. 8. n. 11. Vasq. l. c. d. 136. c. 3. Navar &c. eò quòd sint Christi instrumentum ad gratiam conferendam.

*Quest. 88. An & qualis consensus requiratur ad matrimonium.*

**R** Esp. Conjugum consensum necessarium esse ad matrimonium, indubitatum est, prout deciditur expressè, c. cum locum, c. tua h. t. eumque liberum libertate sufficiente ad peccatum mortale; quia causa est translativa domini proprii corporis & gravis obligationis, posse tamen matrimonium sumptum pro vinculo & obligatione ad cohabitationem mutua à Deo concedi & imponi conjugibus absque eorum consensu probabilius censet Castrop. cit. d. 2. p. 5. num. 2. citans pro hoc Sanch. l. 2. d. 26. num. 1. Cönninck. d. 24. du. 5. concl. 1. & 2. Gurt. de mat. c. 46. num. 1. eò

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.

quòd nulla appareat in hoc repugnantia, quòd Deus suppleat, id quod præstare debebat consensus, tradendo conjugibus mutuo dominium in corpora, & hac ratione extraordinariè per divinam potentiam acquiri dominium sine positiva acceptatione seu consensu in illud; cum ex potestate civili probabiliter possit alicui quæri dominium contra ejus voluntatem; quin & aliqui censent, sic de factò Deum conjunxisse primos parentes sine eorum consensu, idque indicari verbis illis Christi *Matth. 19. quod Deus conjunxit, homo non separet*; de quo vide Castrop. l. c. n. 3. Illud certum, nulla potestate humana posse aliquos conjugi in matrimonium sine eorum consensu; cum neque Ecclesia, neque Princeps ullus alius habeat dominium in nostra corpora, præcipuè quòd ad usum matrimonii; proinde textus nulli definiant, matrimonium quandoque, deficiente consensu, subsistere. V. G. vi præcisè copulæ subsecuta Sponsalia; sed quia quandoque in aliquo dubio tam vehementer præsumunt ex conjecturis consensum adfuisse, ut nullam in contrarium admittant probationem, hac de causa declarant prædicta matrimonia esse valida.

*Quest. 89. In quid consensus ille expressè vel saltem virtualiter ferri debeat.*

**R** Esp. Necessè est, ut feratur in mutua corporum traditionem, in obligationem justitiæ ad conjugalem copulam, obligationemque abstinendi à qualibet alia; in dicta enim traditione & obligatione consistit essentia matrimonii. E contra verò, quia carnalis copula, mutua cohabitatio, & fidelitatis observatio non sunt de essentia matrimonii; neque illud necessarìo consequuntur, necessè non est, ut in ea feratur consensus. Castrop. num. 5. His non obstantibus, quòd videatur matrimonium consistere absque ulla obligatione ad copulam. V. G. dum conjuges mutuo consensu vovent castitatem vel promittunt invicem se nunquam petituros debitum. Nam in contractu matrimoniali non oritur obligatio justitiæ ad copulam petitam pro omni occasione ac tempore reddendam; sed quoties alter non fuerit impeditus eam petere, uti accidit, dum conjuges privarunt se jure libere petendi ex voto vel mutuo consensu; adeoque excusantur tunc conjuges ab obligatione reddendi debitum; quia in isto casu non est debitum.

*Quest. 90. Num falsò existimans subesse impedimentum dirimens consentire validè possint in matrimonium.*

**R** Esp. Negativam, quam tenent Cönninck l. c. du. 6. Navar. c. 22. num. 56. Castrop. l. c. num. 8. aliique apud Sanch. l. 2. d. 33. num. 1. contra eundem, uti & Gurt. l. c. c. 47. n. 1. Covar. in 4. decret. p. 2. c. 3. §. 7. Videri probabiliorè; eò quòd certò absque formidine credens subesse impedimentum, credat matrimonium sibi absolute esse impossibile, quâ falsa cognitione stante, nequit seriò velle matrimonium, non solùm absolute ( ut concedunt AA. oppositæ sententiæ ) sed neque sub conditione, si possibile est, ut volunt iidem. Quia ad hanc voluntatem habendam debebat credere, in aliquo casu possibile sibi esse illud matrimonium, quod credere non potest, quam diu indubitanter credit adesse impedimentum dirimens illud pro omni casu.

G 2

Fru-